91

Sic enim accepimus quibus precipiunt ut oratione benigna multitudinis animos ad beniuolentiam alliciant: militesque blando appellando sermone deliniant.

Atque etiam hoc preceptum officii diligenter tenendum est: ne quem unquam innocentem in iudicio capitis accersas. Id enim sine scelere fieri nullo pacto potest.

Nam quid est tam inhumanum: quam eloquentiam a natura ad salutem hominum: et ad conseruationem datam ad bonorum pestem perniciemque conuertere?

Nec tamen ut hoc fugiendum est: ita habendum est religioni contrarium nocentemque et nefarium aliquando ac impium defendere.

Vult hec multitudo: patitur consuetudo: fert etiam humanitas.

Iudicis est semper in causis uerum sequi: Patroni non nunquam uerisimile: etiam si minus sit uerum defendere.

Largitioque que fit ex re familiari fontem ipsum benignitatis exhaurit. Ita benignitate benignitas tollitur.

Preclare in epistola quadam Alexandrum filium

License: CC-BY-NC – Cologny, Fondation Martin Bodmer, Cod. Bodmer 172, f. 91r – Anthologia latina
(http://www.e-codices.ch/fr/fmb/cb-0172/91r)